

SACRA ROMANA ROTAE

coram R. P. D. ARCTURO DE JORIO, Ponente

Nullitatis Matrimonii

SENTENTIA DEFINITIVA

(Omissis)

ADUMBRATIO CASUS

1. J. J., catholicus, dum quartum ac vigesimum aetatis suae annum agebat, in prolabentium per nives contentione, incidit in A., nondum sui juris, lutheranam.

Diuturna consuetudine per tres annos producta, J. J. et A. mutuo amore capti sunt atque cogitarunt de matrimonio ineundo.

Initis sponsalibus, vir, ratus mixtam religionem impedimento futuram felici exitui convictus coniugalis, mulieri suasit ut fidem catholicam amplecteretur.

Mulier suasionem fastidiose non repulit, sed experiendi gratia auditiones parochi obiit. Fides vero catholica ei probata est: «Essa diceva di saperne di più e di capirla e che le piaceva, e vi uniformava la propria condotta» (Summ., pag. 46 ad 16, c.).

Itaque rebaptizata est, certo certius sub conditione, in Ecclesia catholica.

Matrimonium canonicum inutum est, coram paracho, in ecclesia Sancto H. dicata, in pago vulgo L.

Convictus coniugalis, statim instauratus, per tres circiter annos productus est atque sat faustus fuit, etsi nulla prole recreatus.

Mutuus amor refrixit ob dissimilitudinem ingenii et morum coniugum. Vir enim tempora subsiciva in machinulis electricis reficiendis consumebat, dum mulier blandimenta affectabat et vitam segregem agere aegre ferebat: «All'inizio del matrimonio questo non era vero. Però J. J. si metteva a riparare gli apparecchi televisivi sempre più frequentemente persino le domeniche dopo che io lo avevo pregato di non farlo per poter stare insieme. Egli se ne andava nello scantinato a fare i suoi lavori di riparazione degli apparecchi televisivi e non stava mai con me ed io mi stancavo di stare continuamente sola» (pag. 57, n. 16, 4.º versus capite).

Itaque mulier, vitae segregis pertaesa, domo saepe saepius discedere coepit, quod maritus aegre ferebat atque improbat. Qua de causa discidia in dies magis frequentia et acriora evaserunt.

Tandem mulier a competenti Rei Publicae Tribunali divortium postulavit, quod decretum est ob culpam mariti, quia compertum habitum est virum vim physicam et moralem uxori intulisse (pag. 13).

Postea mulier aliud matrimonium, ritu civili, attemptavit cum viro catholico, ex quo duos filios procreavit.

2. J. J. a Metropolitano ecclesiastico Tribunali postulavit declarationem nullitatis matrimonii, a se cum A. initi, ob exclusa a muliere indissolubilitatem et bonum prolis.

Causa instructa est per judicialem excussionem partium et septem testium feminini sexus, quarum quinque sunt sorores, natu maioris, actoris, seu R., C., F., M. et A.

Induxit quoque actor H. conlegam conventae, primum conversam ad fidem catholicam, a qua postea defecit ut adhaereret acatholicae religioni, quam diligenter non colit: «convertita al Cattolicesimo, ma ora presbiteriana poco praticante» (pag. 54, ad 4).

Conventa induxit affinem D., ux. K., lutheranam, quae religionem suam diligenter non colit

Judices ad deliberandum convenerunt, sed decisionem differendam censuerunt atque decreverunt ut de nullitate matrimonii in casu videretur alio ex capite, nempe ob conditionem de futuro illicitam et contra matrimonii substantiam, a muliere appositam.

Dubium quoad novum caput, impositum, rite concordatum est.

Nescimus quo juris canonici praescripto innixi iudices primae instantiae aliud nullitatis caput imposuerint. Certo certius immerito provocarunt ad praescriptum art. 178 Instructionis PROVIDA, a S. C. de Sacramentis, a. 1936, latae.

Infrascriptus Ponens censet et non una vice scripto contendit iudices posse factis, quibus assumptio nititur, juris nomen tribuere diversum a designatione, qua partes eadem notarunt (il giudice può dare ai fatti una diversa qualificazione giuridica). In hypothesi non mutatur assumptio, sed tantum nomen juris, quo facta designantur.

Id in casu praestitisse videntur iudicis primae instantiae, qui duo primitus adducta capita hac animadversione dimiserunt: «Quantunque la sostanza delle testimonianze favorisse la accusa dell'attore, i giudici decisero che c'era prova insufficiente per superare la presunzione della legge (stabilita) nel can. 1086 § 1 sui motivi adottati. Essi comunque suggerirono che la causa venisse continuata ed esaminata sotto il capo aggiunto del consenso condizionato, cioè, che A. decise prima del matrimonio che essa sarebbe rimasta permanentemente con J. J. e che avrebbe avuti figli con lui soltanto se fosse arrivata a nutrire amore per lui» (Summ., pagg. 65-66).

Hac ratione praefinito titulo juris, quo actor postulaverat declarationem nullitatis matrimonii, a se cum A. initi, iudices primae instantiae, sententia die 11 sept. a. 1964 lata, edixerunt:

«Constare de nullitate matrimonii, in casu».

Verum Tribunal alterius instantiae, ad quod Defensor Vinculi, ex juris praescripto (can. 1986), appellaverat, censuit iudices Archidioecesis non satis habuisse mutare designationem, sed revera aliud nullitatis caput addidisse. Nam dubium in hanc formulam concordatum est: «An constet de nullitate matrimonii in casu ex capite intentionis contra bonum prolis et sacramenti ex parte mulieris, et ex capite conditionis de futuro non verificatae».

Declaravit vero ex nullo adducto capite constare de nullitate matrimonii, in casu.

3 Adversus hanc sententiam actor appellavit ad Nostrum Apostolicum Tribunal,

penes quod dubium concordatum est in formulam indeterminatam, quam Normae praescribunt, seu: An constet de nullitate matrimonii in casu.

Patronus ex officio actori datus videtur censere hucusque duo primitus adducta nullitatis capita, seu exclusionem boni sacramenti et prolis, esse duplici sententia negativa dimissa, et ideo non posse eadem retractari in tertia instantia. Id autem expresse contendit Defensor Vinculi.

Nos vero, qui observantes praescripti art. 77 § 2 Normarum N. S. O., dubium in vagam formulam concordavimus, sed supra rei caput satis superque praefinivimus, hanc duplicem quaestionem disceptandam atque definiendam censemus:

a. An constet mulierem conventam propositum gessisse ineundi matrimonium indissolubile et prolem generandi, si exploratum habuisset se vero amore maritum prosequi;

b. An haec conditionata acceptatio indissolubilitatis et officii generandi prolem matrimonium irritet.

IN JURE

I. QUOAD BONUM SACRAMENTI

4. Ex praescripto ac ditione canonis 1086 § 2, cogitur ad matrimonium valide ineundum non requiri positivum voluntatis actum, quo indissolubilitas contrahendi vinculi acceptetur. Nam hoc ex capite invalide contrahit tantum qui *positivo voluntatis actu* excludat essentialiam aliquam matrimonii proprietatem, seu unitatem vel indissolubilitatem (can. 1013, § 2), minime vero qui non acceptet positivo voluntatis actu unitatem vel indissolubilitatem.

In una recentissima (Taurinen.), diei 13 julii a. 1966, infrascripti Patres conati sunt certam praebere notam, qua positivus voluntatis actus discerni valeat ab animi dispositione: «qui animi dispositione est adversus indissolubilitati pronior est ad positivum voluntatis actum eliciendum, quo eam excludat. At plerumque abstinet ab eo eliciendo, quia religione retinetur ne id praestet, vel quia solutionem ineundi vinculi se perficere haud posse providet. Tunc vel acceptat indissolubilitatem, etsi sibi summe molestam, ne obsistat voluntati Dei eam sancientis, vel passive se habet. vel positive statuit vinculum infringere absolute vel hypothetice seu si quaedam contingant. Si primum praestet, elicit positivum voluntatis actum, quo indissolubilitatem acceptat, si alterum remanet in animi dispositione indissolubilitati adversa, si tertium positivo voluntatis actu indissolubilitatem excludit.

Itaque qui ad matrimonium accedit cum sola animi dispositione indissolubilitati adversa, valide contrahit, quia bonum sacramenti non excludit positivo voluntatis actu, quamvis neque acceptet positivo voluntatis actu» (n. 6).

5. «Cum indissolubilitas —scriptum legimus in una coram Bonet, diei 23 maii a. 1955— essentialis sit matrimonii proprietas, quae in matrimonio christiano peculiaritatem obtinet firmitatem ratione sacramenti, si positive excludatur, matrimonium irritum est. Cum (autem) haec proprietas talis naturae sit, ut distinctionem non patiat inter jus ad perpetuitatem, et usum, aut habetur, aut non habetur: ideo matrimonium validum erit vel minus, prout probetur, necne, actus positivus voluntatis praedictum bonum sacramenti excludentis» (S. R. Rotae sententiae, vol. XLVII, pag. 436).

Itaque infrascripti Patres, in una Romana diei 29 aprilis a. 1964, merito asseverarunt explorati juris esse «de bono indissolubilitatis seu sacramenti non posse invocari distinctionem inter jus et exercitium juris: qui enim excludit exercitium huius juris,

vult necessario matrimonium solubile, et ideo ipsum indissolubilitatis jus excludit (cfr. S. Thomam, Suppl., q. 49, a. 3, c.)».

6. In eadem sententia (n. 9) recoluerunt «secundum firmam jurisprudentiam nostram, habetur exclusio boni sacramenti seu indissolubilitatis, quae matrimonium irritat, etiam per conditionatam voluntatem vinculum rescindendi seu ad divortium recurrendi tantum si quaedam contingant, v. g. si amor vel concordia deficiat (cfr. sententias S. R. Rotae, diei 29 iulii 1949, coram Staffa, n. 2; diei 21 iunii 1950, coram Felici, n. 2; diei 12 decembris 1951, coram Mattioli, n. 2; diei 21 februarii 1953, coram Pinna, n. 2)».

II. QUOAD BONUM PROLIS

7. Vulgatum est infrascriptos Patres pernegare alterutrum de contrahentibus posse usque ad vitae extremum exitum excludere prolem, id est propositum seu intentionem gerere nullam generandi prolem, et insimul alteri tradere jus in proprium corpus atque acceptare in alienum in ordine ad prolem generandam.

Assumptio enim eiusmodi obligationis seu vinculi est mera mentis confictio, sed in rebus (nella realtà), quibus niti debent juris periti, magis autem iudices, non extat.

Utrumque vero, seu traditionem juris in proprium corpus et eiusdem acceptationem in alienum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem et propositum vitandi filios usque ad vitae extremum exitum, posse esse obiectum pacti conventi infrascripti Patres ne intelligere quidem valent.

Utique id esset possibile, si ad contrahendum vinculum coniugale non requireretur internus animi consensus, sed sufficeret verborum prolatio. Nam, in hypothese, quis posset contrahere obligationem per prolationem verborum atque insimul gerere intentionem non implendi. At id viguit penes priscos Romanos et quidem in re quam maxime diversa a nuptiis: «Cum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupassit, ita jus esto» (cfr. XII Tabulas, VI, 1, penes S. RICCOBONO, *Fontes Juris Romani Antejustiniani*, Florentiae, Barbèra, pag. 43). Dum matrimonium nequit contrahi absque interno animi consensu (cfr. canones 1081 et 1086), quod et veteres Romani statuerunt seu declararunt (D. XXXV, 1, 15).

8. Probe tamen noverunt infrascripti Patres distinctionem inter jus et exercitium juris quoad bonum prolis inductam esse a decretalista primae notae, Thoma Sanchez S. J.: «Id tamen observandum est, aliud esse sentiendum de tribus matrimonii bonis quoad obligationem, et aliud quoad executionem: nam quoad obligationem, omnia illa sunt de matrimonii essentia, obligantur enim coniuges, ex vi matrimonii, ad vitam individuum et reddendum sibi debitum, prolem non impediendam, et habitam educandam.

Et hoc aperte sentit D. Thomas, 4, d. 31, q. 1, a. 3, corpore, ubi haec, ait, fides et proles secundum quod considerantur in suis principiis, ut (pro) prole accipiatur intentio prolis, et pro fide debitum servandi, sine quibus matrimonium esse non potest, et sic accipiendo fidem et prolem sunt essentialissima in matrimonio...

Si tamen considerentur haec quoad executionem, in seipsis, sic bonum sacramenti, quod est indissolubile vinculum, est de essentia sacramenti matrimonii, non autem fides et proles, ut optime docet ibi D. Thomas. Hinc fit, ut intentio contraria bono sacramenti, irritet matrimonium, non autem intentio contraria bono fidei, et prolis, si tamen adversaretur intentio fidei, et prolis, quoad sua principia, similiter irritat matrimonium: ut si quis contraheret non intendens se obligare ad educandam prolem, vel non impediendam, vel ad servandam fidem, esset irritum matrimonium, quia cum haec sint matrimonio essentialia, talis intentio essentiam excludit, quod clare docet S. Thomas» (*De sancto matrimonii sacramento*, Venetiis, 1693, lib. II, disp. XXIX, n. 12).

At inde ab anno 1940 evictum est a praeclarissimo viro Joanne Baptista Ferrata,

nunc Sacri Concistorii Advocato, Patrem Sanchez immerito tribuisse S. Thomae sententiam, quam penes quis posset tradere ius in proprium corpus atque acceptare in alienum in ordine ad prolem generandam atque insimul firmum gerere propositum nullum generandi filium (*Bonum prolis in consensu matrimoniali*, dissertatio iterum edita typis Guerra et Belli, Romae, 1966).

Nobis autem videtur prae laudatum virum recte interpretari mentem S. Thomae, cum contendit secundum Aquinatem prolem in suis principiis spectare ad matrimonium in fieri, in seipsa vero ad matrimonium in facto esse (pag. 19).

S. Thomas enim apertis verbis declarat pro prole in suo principio accipiendam esse intentionem prolis, sine qua etiam matrimonium esse non potest, quia haec in matrimonio ab ipsa pactione coniugali causatur (Suppl., q. XLIX, a. 3, c.). Aliis verbis S. Thomas docet intentionem prolis et fidei essentialem esse in nuptiis ineundis, ut validum contrahatur matrimonium, quod perstat etiamsi proles non procreetur vel pactione coniugalis non servetur.

Nunc autem qui, dum consensum praestat, propositum gerit nullum generandi filium, non habet intentionem prolis, sine qua matrimonium esse non potest.

Ceterum hanc sententiam esse subiciendam verbis a S. Thoma usurpatis confirmatur ex eo quod tum ius romanum (D. VII, 1, 56; C. VII, 25, 1) tum communis hominum sensus, quorum is maximam rationem constanter habuit, et a quibus numquam discessit nisi indicata dissensus causa, *vacuum verbum* habuerunt traditionem juris, abscedente semper usu seu usufructu.

Censem Sanchez in errorem inductum esse verbis «quia esse rei non dependet ab usu suo», quae leguntur in citato textu S. Thomae.

9. Quidam contenderunt infrascriptos Patres, haec asseverando, despexisse auctoritatem Decretalistarum seu canonistarum magnae notae et constantem recentiore jurisprudentiam S. R. Rotae.

At animadvertendum censem auctores non paucos (cfr. scriptum P. Petri Huizing S. J., *Bonum prolis ut elementum essenziale obiecti formalis consensus matrimonialis*, editum in *Gregorianum*, vol. XLIII, 4, pagg. 657-722), qui docent exclusionem directam prolis absque denegatione juris in proprium corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem irritare matrimonium, re, etsi non apertis verbis, idem ac nos contendere.

Infrascriptus vero Ponens, scripto nuperrime edito in publicatione periodica *Seminarium* (a. 1966. n. 3, pagg. 715-741), cui titulus *Privilegium Petrinum seu solutio matrimonii in favorem fidei*, pluribus allatis historicis testimoniis, ostendit nonnullas sententias, quae passim traduntur ut doctrina catholica vel saltem communis inter theologos, non fuisse nec esse extra quamlibet controversiam atque de eisdem adhuc disceptari in Sacris Romanis Congregationibus.

Ad jurisprudentiam vero quod attinet, animadvertendum est tribunalia ecclesiastica prona fuisse ad accipiendas Auctorum sententias, quibus auctus causarum matrimonialium coerceri valeret, quod praestitit ipse Prosperus Lambertini (cfr. citatum scriptum, pagg. 722-723; 725-726).

Eiusmodi autem nixus maxima laude dignus videbatur, quando matrimonium nullitatis accusabatur ex simulatione consensus, quia rudes et imperiti habent sententiam favorabilem non actum iustitiae, sed praemium, quod certo certius tribuendum non est simulanti, qui fecte consenserit ut a contracto vinculo sese exsolvere valeret.

Ceterum jurisprudentia N. S. O., hac in re, verbis alio principio innixa est, sed re in eiusmodi hypothesi agnovit nullitatem matrimonii, ob exclusum bonum prolis. Vix enim est invenire Turnos rotales, qui non declaraverint nullum matrimonium, quando

compertum erat alterutrum vel utrumque nupturientem in consensu praestando prolem exclusivisse in perpetuum, etsi innixos praesumptione exclusi juris.

Nec desunt sententiae, quae, etsi cursim ne viderentur adversari jurisprudentiae tunc praevalenti, validitatem principii a nobis enuntiati agnoverint. Legimus enim in una coram Mannucci, diei 7 iulii 1926: «Sufficit, ex can. 1086 § 2, simplex intentio in consensu dando retenta; sed ad probationem in foro externo requiritur ut manifestetur, si non comparti, saltem idoneis testibus, per quos demonstrari possit *expresse* aliquando apposita. Si comparti manifestetur, gravis oritur praesumptio eam deductam esse in pactum, quod certo contingit cum quis cogit secum contrahentem ad eam acceptandam; ita ut hic censeatur renuncians *iuri* quod est ex can. 1081, § 2, obiectum consensus: tunc directe probatur nec contractum nec consensum subsistere. Alia tamen via seu indirecte id constat, si exercitium iuris *absolute et in perpetuum excludatur, quia practice non intelligitur vera traditio iuris cuius nullus esse debeat actus*: perpetuitas autem explicite apponitur exclusioni, aut congrue arguitur si causa exclusionis sit *perpetua*» (S. R. Rotae Sententiae, Dec. XXVIII, a. 1926, n. 2; vol. XVIII, pag. 222).

Itaque infrascripti Patres perstandum censent in propria sententia, quam penes alteruter vel uterque contrahens, si in consensu praestando firmam gerat intentionem nullum generandi filium, excludit prolem in suo principio et ideo invalide contrahit.

10. Infrascripti Patres iam—in una Vicariatus Apostolici Alexandriae in Aegypto, diei 19 februarii a. 1966, n. 4 declararunt se habere exclusionem directam prolis et denegationem juris ad coniugales actus duas distinctas hypotheses invaliditatis consensus matrimonialis, atque in altera—in exclusione juris ad coniugales actus— stirpitus infici consensum matrimonialem.

Id autem neque in doctrina neque in jurisprudentia erat novum: non in doctrina, uti ibidem cum praelaudato P. Petro Huizing S. J. comprobavimus; non in jurisprudentia, quia iam assertum atque evictum erat in una coram Bejan (Omahen.), diei 9 novembris a. 1961.

Immo in citata sententia coram Bejan (n. 4) asseritur nullitatem matrimonii ob exclusum bonum prolis neque in hypothesis, in qua mulier praenuptiale et firmum propositum vitandi prolem in perpetuum executioni mandaverit impediendo transitum veri seminis virilis ex vagina in uterum mediante quodam artificiali diaphragmate, cogi ex praescripto ac ditione canonis 1086, § 2.

Dum infrascripti Patres, in sententia diei 19 februarii 1966, agnoverunt: «Utique matrimonium est nullum ob exclusum omne jus ad coniugalem actum et non tantum ob exclusam generationem prolis, si uterque vel alteruter de coniugibus ea conditione nuptias ineat, ut copula carnalis perverso more perficiatur, v. g. a viro, cuius penes capsula indutus sit, vel a muliere, quae ingressum seminis in uterum pessario occlusivo praepediverit».

Immerito quaedam recentissima sententia rotalis, diei 15 decembris a. 1966, post nostram lata, sed iam edita, in his verbis videt reditum ad traditionalem distinctionem inter jus et exercitium juris. Nam actus per se aptus ad prolis generationem est carnalis copula, qua vir in vaginam mulieris immittit semen, quod transire valeat ad uterum, in quo conceptio foetus habetur. Nunc autem mulier, quae semen recipit in vaginam, posterius pessario oclusam, non perficit actum per se aptum ad prolis generationem, quia naturalem transitum seminis ex vagina in uterum intercludit. Vir vero, qui copulam perficit pene capsula induto semen neque in uterum neque in vaginam immittit, quia id in involucre retinet.

Forsitan Ponens non animadvertit actum per se aptum ad prolis generationem esse copulam physiologicam, non pure mechanicam.

11. Praeaudata sententia habet uti emendationem errorum, in quos lapsi essemus,

hanc aliam nostram asseverationem seu agnitionem: «Patres minime infitiantur exclusionem seu denegationem juris in corpus, ad perficiendos actus per se aptos ad prolis generationem, impedire ne matrimonium valide ineatur».

At haec est assumptio nostra, apertis verbis enuntiata, non revocatio (ritrattazione) alibi assertorum, uti ex insequentibus nullo negotio cogitur: «Patres habent exclusionem directam prolis et denegationem juris ad coniugalem actum uti duas distinctas hypotheses invaliditatis consensus matrimonialis».

12. Pergit sententia: «Ast qui subtiles carpebant distinctiones, subtilius distinguunt: exclusio eiusmodi juris —seu juris in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem— impedit quominus contractus matrimonialis revera ineatur, dum exclusio prolis eundem invalidum seu irritum reddit».

At sententiarum subtilitas, necessaria ad verum tribuendum nomen quibusdam actibus iuridicis et ad praefiniendam eorum naturam ac vim, non est cavillatio: prima est virtus, altera vitium; prima studiose quaerenda, altera vitanda.

Carpit quoque hanc nostram conclusionem: «cum mutua traditio et acceptatio juris in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem sit obiectum essenziale contractus matrimonialis, exclusio eiusmodi juris impedit quominus contractus matrimonialis revera ineatur seu causat inexistentiam iuridicam eiusdem, dum exclusio directa prolis eundem invalidum seu irritum facit».

Ei opponit: «Non conspicitur cur exclusio prolis per actum positivum voluntatis, quae restringit ipsum consensum matrimonialem, ideoque efficiat ut *non sit consensus vere matrimonialis*, non impediatur quominus contractus revera ineatur. Siquidem contractus constituitur consensu».

Reponimus: In casu exclusionis directae prolis, sed non juris in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem, contractus matrimonialis est invalidus quidem, sed nequit haberi iuridice inexistens, quia consensus praestitus est in eius obiectum formale; quod cum auctoribus primae notae praefinivimus.

13. In sententia, quae superlationem nobis exprobat, scriptum legimus: «Praeprimis negari debet *quamlibet exclusionem prolis* invalidare semper matrimonium. Si ita esset, vix unum salvaretur matrimonium inter centum».

Praemittimus nos numquam asseruisse quamlibet prolis exclusionem invalidare matrimonium, verum intentionem, quam gerat alteruter vel uterque contrahens in consensu praestando, vitandi et unius filii generationem usque ad vitae extremum exitum.

Nunc autem, quod sciamus, nupturientes, qui in matrimonio ineundo intentionem gerant vitandi et unius filii procreationem usque ad vitae extremum exitum, non sunt tam numerosi, uti asseveratur in sententia, de qua est sermo. Nobis inversa proportio videtur verior, seu novenas et nonagenas centesimas partes hominum (il 99 %) exoptare, non recusare procreationem saltem unius filii. Immo propius videtur accedere ad veritatem qui contendat decies millesimam partem hominum (uno ogni diecimila) recusare et unum procreare filium usque ad vitae extremum exitum.

Utique numerosi sunt coniuges qui postulant declarationem nullitatis initi matrimonii ob exclusum ab alterutro vel ab utroque bonum prolis, sed proportionem, quam supra ponimus (un matrimonio impugnato su diecimila contratti), non aequant.

Ceteras exprobrationes, criminationes, animadversiones, quae leguntur in memorata sententia, non persequemur, quia satis superque ostendimus quibus argumentis ea utatur ut, per speciem tutandi indissolubilitatem vinculi matrimonialis atque comprobandi firmitatem jurisprudentiae, a pluribus sententiis rotalibus inductae, infrascriptos Patres vellicare possent.

14. Quae nos contendimus de juris vi exclusionis directae prolis plene confirmata habemus in una coram Bejan, diei 29 octobris a. 1966, nuperrime edita.

Praetermittit solutionem quaestionis utrum invalide contrahat «pars, quae spiritu haeretico ita fallatur, ut habeat positivam intentionem instituendi prolem nonnisi in haeresi, et quatenus ab altera parte contradicatur, parata sit excludere omnem prolem, idque expresse manifestet» (n. 4).

Revocat doctrinam et jurisprudentiam, quam penes voluntas instituendi prolem in haeresi, etsi impia, non est contra substantiam matrimonii, quia non excludit simpliciter conservationem et educationem prolis, et ideo neque naturali neque positivo jure irritat matrimonium.

Sed eam neque amplectitur neque repudiat.

Postea investigandum sibi proponit utrum mulier, quae positivam gerat intentionem «non quidem impediendi quominus vir actum per se aptum ad prolis generationem poneret, sed praepediendi per usum mediorum anticonceptionalium prolis generationem», valide contrahat.

Praemittit: «Sparsim in jurisprudentia N. S. O. revocatur principium quod penes positiva voluntas, firmiter ante nuptias elicit, in perpetuum recurring ad media anticonceptionalia, irritat consensum matrimonialem, si contrahens nonnisi cum tali intentione coniugium inire velit». At insimul animadvertit: «Rotales sententiae, si substantialiter ad eandem conclusionem perveniunt, argumentis tamen utuntur non ita constantibus», atque minime solvunt quaestionem «quomodo ad essentiam juris ac debiti circa copulam vere coniugalem, reducitur jus et obligatio circa eius *effectus*» (n. 5).

Postea ad trutinam revocat sententias rotales, quae sibi proposuerunt hanc solvere quaestionem, id est duas coram Wynen, diei 27 februarii 1947 et diei 17 novembris 1956, et duas coram Canestri, diei 8 iulii 1941 et diei 26 januarii 1950.

Tandem concludit: «His principiis attentis, affirmare cogimur confundendam non esse exclusionem boni prolis cum exclusionem obiecti formalis contractus.

Quamvis intentio prolis procreandae sit implicita in jure in corpus, verum tamen est contrahentem posse illam intentionem non habere, salvo manente jure peragendi copulam.

Item, aliquis habere posset intentionem excludendi obiectum formale contractus, quin reicere velit finem primum (puta casum contrahentium, qui deliberata voluntate statuunt recurrere ad foecundationem artificialem).

Aliis verbis, traditio juris in corpus conciliari potest cum intentione frustrandi effectum copulae rite peractae» (n. 10). Et inferius: «Hisce prae oculis habitis, in casu de quo nunc disceptatur, rectius affirmandum apparet nullitatem matrimonii directe evinci ex defectu consensus vere matrimonialis, ob absolutam voluntatem, ordinationi ad finem contrariam.

Mulier enim quae admittit introductionem penis viri sui in propriam vaginam et veri seminis effusionem in eandem, non excludit, saltem physice, omne jus ad actum per se aptum ad prolis generationem; immo neque exercitium huius juris impedit. Reiciunt tantummodo naturalia consecraria copulae rite positae.

Utrum ex reiectione naturalis effectus copulae, ante nuptias firmiter intenta, formalis recusatio juris ad actus vere coniugales deducenda sit nec ne, ex supra expositis, pro certo affirmari posse non apparet.

Animadvertere praestat Codicem Juris Canonici (can. 1081, § 2, et can. 1086, § 2) sufficientem habere actum coniugalem per se aptum ad prolis generationem; non enim generatione (ut facto), sed copula coniugali consummatur matrimonium.

Nunc autem, actus coniugalis, ut recte perficiatur, requirit ex parte viri introductionem penis in vaginam et effusionem veri seminis in eandem, ex parte vero mulieris admissio utriusque.

Itaque nullitas contractus matrimonialis, in quo mulier sibi positive reservat, post copulationem iuxta naturam peractam, jus praepediendi generationem diaphragmate vel alio quovis turpi modo, quo praepediatur transitus veri seminis in uterum vel destruatut efficacia functionalis veri seminis, aliunde est petenda. In casu, mulier non excludit omne jus ad coniugalem actum, sed contractus matrimonialis causam, sine qua is consistere nequit. Matrimonium enim est contractus, qui generationis causa iniri debet, cum eidem Deus hunc finem praestituerit» (n. 11).

III. DE CONSENSU MATRIMONIALI, CONDITIONI OBNOXIO

15. Patres, in una Florentina diei 19 maii 1965, innixi pluribus S. R. Rotae sententiis, tradiderunt juris notiones ac praescripta de consensu matrimoniali sub conditione praestito.

Hic quaedam tantummodo recolunt vel animadvertunt: «Appositio conditionis —monet Wynen in una Romana diei 5 januarii a. 1950— est manifestatio dubii, et nisi quis de certa quadam qualitate compartis positive dubitet, existentiam huius qualitatis non postulat sub forma conditionis sine qua non, ipsi consensui adiectae».

Qui firmum gerat propositum solvendi vinculum, si expertus sit se compartem non prosequi vel ab ea non repensari tali amore, qui provideatur duraturus usque ad vitae extremum exitum, invalide contrahit, quia indissolubilitatem, etsi conditionate, excludit, dummodo agatur de vero voluntatis actu, non de simplici animi dispositione, quam supra descripsimus.

At plerumque contrahentes, qui in haeresi nati atque instituti sunt, ne cogitant quidem de vinculo, sed nuptias ineunt ea animi dispositione, ut ad nihil perferendum parati sint pro servando convictu coniugali, quod differt a positivo voluntatis actu excludente indissolubilitatem, qui matrimonium irritat.

Convictu autem per divortium penitus dissoluto, si inciderint in personam, quae sibi probetur, aliud attemptant ritu civili matrimonium, sed hoc factum non inficit consensum matrimoniale valide praestitum.

16. Propositum seu firma voluntas, quam quis in consensu praestando gesserit non generandi prolem, seu neque ponendi neque admittendi in proprium corpus actus per se aptos ad prolis generationem quousque expertus sit constantiam (la stabilità) convictus coniugalis, irritat matrimonium vel saltem huius valorem suspendit, si ipsa traditio et acceptatio juris dilata sit, non irritat vero si ad tempus denegatus sit usus seu exercitium concessi atque acceptati juris.

Sed unum ab alio discernere ardua sane res est. Onus vero probandi positivum fuisse elicitum voluntatis actum, qua dilata sit ad tempus traditio juris ad coniugales actus, seu per se aptos ad prolis generationem, ex generali juris processualis principio, incumbit actori (can. 1748, § 1), eo vel magis quod «matrimonium gaudet favore juris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur» (can. 1014).

Insolutam relinquimus quaestionem utrum, remittendo ad aliud tempus traditionem et acceptationem juris in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem, matrimonium invalide ineatur an tantum eius valor suspendatur, quia solutio ad rei usum non spectat. Etenim, si postea eiusmodi jus tradetur, atque acceptetur, nemo postulabit declarationem nullitatis, si neque postea tradetur matrimonium certo certius erit invalidum.

SACRA ROMANA ROTA C. DE JORIO

(Omissis)

His praemissis atque, tum in jure cum in facto, rite ac nature perpensis, infrascripti Patres Auditores de Turno, pro tribunali sedentes atque solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, ad propositum dubium respondendum censent atque hac sententia respondent:

NEGATIVE, seu

NON CONSTARE DE NULLITATE MATRIMONII, in casu.

Ita decernimus, declaramus atque definitive sententiamus, mandantes Ordinariis locorum et Administris Tribunalis, ad quos spectat, ut hanc sententiam, ad normam juris et secundum vigentem praxim, iis, quorum interest, notam faciant atque executioni tradant.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 14 decembris a. 1966.